

AG

DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS
DE
TEMPESTIVO MEDICI SILENTIO
ET
IN TEMPESTIVO AEGROTI

Q V A M
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
P R A E S I D E

1780
321

**DANIELE WILHELMO
TRILLERO**

PHIL. ET MED. DOCT. CONSILIARIO AVL ELECT. SAXON. MED.
PROF. PVBL. ORDIN. PRIMARIO ET ILLVSTR. ACAD.
SCIENTIAR. BONONIENS. SODALI

PRO GRADV DOCTORIS

RITE IMPETANDO
AD D. XXI. IVL. CIOIOCCCLXXX
H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET
PETRVS WITT, HAMBVRGENSIS
MEDICINAE CANDIDATVS

VITE BERGAE
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

DISSERTATIO MEDICA IN VAGABUNDIS
DE
TEMPERATIO MEDICI SPRINTIO
INTEMPERATIO AEGEROTI

DAVINELLE MATHHEMIO
TRIFEDERO
PRO GRADU DOCTORIS
AD D. XXX IULI DICIDOCENX
XVII
LETTRAS MELL T. HANVARDUS
MEDICINA EGYPTIACUS

LIBRARIA
LIBRARIA GÖTTSCHE COPENHAGEN 1790



Q. D. B. V.

§. I.

Eloquar? an sileam? Ita olim exclamabat pius ille
AENEAS,^{a)} dura sua patriaeque ipsius fata diraque
fimul portenta enarraturus; sed tum dubius adhuc
et incertus, quidnam potissimum ex utroque tu-
tius eligeret. Sic igitur a quovis etiam prudenti ac solerti Viro
caute semper est deliberandum; probeque expendendum, quan-
do scilicet sit loquendum, et quando e contrario, silendum:
diversa enim omnino et distincta plane dicendi tacendique esse
tempora; iam dudum graviter monuerunt ac severe praecepe-
runt prudentissimi illi Hebraeorum diuumviri, Ecclesiastes^{b)} ni-
mirum, atque Ecclesiasticus^{c)} quorum ille Coronam iam haere-
ditario iure gerebat; hic autem, ob singularem sapientiam in
isto ethico suo Thesauro, nobis adhuc, in perpetuos Vitae pro-

A

be

^{a)} Apud VIRGIL. Lib. III. Aeneid. init.

^{b)} Cap. III, v. 7.

^{c)} Cap. XX, v. 6. 7. 8. ubi conf. GROTTI Commentar. pag. 163. Tom.

III. opp. in V. T. item ad Cap. IV. pag. 96. et alibi. ut et CAMERAR.
ad SIRACID. pag. 200.



be pieque instituendae usus uberrimos, relictam, dignus omnino esse videbatur, ut splendida pariter laudis nunquam interturae corona per omnia saecula, merito exornaretur. Inde igitur mordacissimus ille Satyricus, PERSIVS^{d)} istum in primis Virum impensius laudabat, qui dicenda tacendaque iuxta exacte calleret: Secus, ac ille garrulus conviva apud HORATIVM^{e)} qui dicenda, tacenda simul loquutus.

§. II.

Cautum itaque ac tempestivum silentium omnem omnino decet sexum, aetatem, dignitatem, statum ac Vitae conditio nem, sive Reges fuerint: sive inopes Coloni, ut cum HORATIO lo quanmur,^{f)} est enim, ut idem prudenter monet poeta,^{g)} fideli tuta silentio merces; ut inde quisquis Angeronam,^{h)} sive venerandam silentii deam ethice magis colit, quam ethnice, iste qui dem nec facile angores patiatur, nec anginam, aut agoniam, sed αγχίστων potius et αρπέζων semper cum laude, ubique ostendat, et splendidum singularis prudentiae encomium exinde merito reportet, ut ita certe verbis serio ludere liceat. Semel quidem SILENTIUM perdidit Amyclas, ut notum tenet proverbium: Sed saepius contra servavit Amicas et Amicos, et mille alia comoda et auxilia praefitit, quae ob ingentem sane copiam, sat is accurate recensere vix licet: οὐδὲν γάρ σιωπής ἔστι χρησιμότερον, ut recte dixit MENANDER, καὶ πολλὰ ἔχει σιωπὴ παλά, uti SOPHOCLES vere pronuntiabat: οὐ φαλέτερον γάρ τῷ λέγειν, τῷ σι ργῆν. ut EPICETUS.

§. III.

^{d)} Satyra III.

^{e)} Epist. VII, Lib. I.

^{f)} Oda XIV, Lib. II.

^{g)} Oda II, Lib. III. conf. MICH. APOST. Prov. 17. Cent. IX. p. 107.

et ibi PANTIN. pag. 312.

^{h)} Vid. REINES. ad Inscript. 23. Claff. I. pag. 220. et Cl. SAXII Dia tribe Acad. de Dea Angerona, Ultraiect. 1766.



3

§. III.

Hinc arcana silentia potissimum regnare debent in principum aulis ac cubiculis, Ministrorum et politicorum conclavebus, Legatorum negotiis, Archistrategorum tentoriis et casis militaribus. *Confiliū enim anima est silentium*, ut olim sapienter dictum. Silere quoque maxime convenit *Confessionariis*, ut scilicet dicuntur, item et chirurgis, tonsoribus et obstetricibus, nec non venatoribus ac pectoribus, ex prudenti quidem operpiantur¹⁾ consilio, ut et aucupibus, denique etiam potoribus ac Convivis, item iucundis, et ebriis, siticulosis et anhelantibus, immo et fatuis stultis ipsis, ne scilicet ieiuna et intempestiva loquacitate foras prodant internam mentis turbatae stultitiam, ut ipse SALOMO,²⁾ ac SIRACIDES³⁾ sapientissime monent: quibus apposite respondet illa PUVBLIISYRI sententia:⁴⁾ *Taciturnitas stulto homini pro sapientia est*. Sicut ex adverso, ipsos quoque prudentes ac sagaces Viros tacere interdum, ac loquax labellum digito veluti comprimere decet, ut modum inde ex sapientia tenere et luxuriantem nimis floridi ingenii ubertatem, injecto quasi temperato freno, compescere ac moderari perdiscent. Sed de his quidem hactenus.

§. IV.

Nolo enim iam studio, in communes illas ac generales silentii laudes longius latiusque evagari, ne sic in oppositum huic quidem praeclarae virtuti vitium, tinnulam nempe et inanem

A 2

Garru-

¹⁾ Lib. I. *Cyneget.* 449. ibi RITTERHVS. pag. 41. et Lib. III. *Haliev.* 429. et ibi idem RITTERHVS. pag. 276.

²⁾ Proverb. XVII. 25. ¹⁾ *Ecclesiastic.* XX, 7.8.

³⁾ Sent. 733. pag. 29. ubi in primis vid. GRVTERI *Notas uberrimas*, pag. 427 fqq. et pag. 429. item et pag. 511 seqq.

Garrulitatem, a magno praesertim PLVTARCHO^o) acri iustaque censura merito notatam, temere incidisse, iure forsan videar. Inde igitur tanto minus nunc placet, aut licet, notissima illa ubivis *Florilegia*, aut *Anthologia*, STOBÆI nimirum, GROTI, GRVTERI, LANGII, MAGIRI, NEANDRI et aliorum aut nitidas illas MORHOFII *Dissertationes*, de iure silentii, item, de *Eloquentia in Tacendo*, impudenter nimis ac imprudenter expilare, et sic alienis plumis ridicule superbire; in quibus quippe innumera paene in amplissimas venerandi silentii laudes, ex omni quidem aevi Auctoribus, graecis pariter ac latinis, undique operose et copiose congregata, una simul ferie, commode exhibentur.

§. V.

Cunctis ipsis igitur iam merito missis ac relictis, tanquam peregrinis non nihil et alienis; proprius potius nunc accedamus ad institutum nostrum, atque de ipso Medicorum praesertim silentio tempestivo, paucis agamus. Illos enim praecipue decet, ut in opere suo arduo iuste fideliterque peragendo, memori semper mente repositum habeant saluberrimum istud et utilissimum OVIDII^o) praeceptum:

Eximia est virtus, praefare silentia rebus:

At contra, gravis est culpa, tacenda loqui.

Non enim solum ipsa rei natura et officii concreti ratio istam perpetui silentii necessitatem ipsis severè imponit: sed et insuper gravis imprimis et veneranda ipsis HIPPOCRATIS accedit auctoritas, qua non solum plus semel, de servando sancte silentio, instanter serioque admonentur: sed etiam ipso adeo sacro iure iurando proposito, tanto magis ab eo obstringuntur, tanto-

^o) Lib. de *Garrulitate*, p. 502 sqq. Tom. II. Opp. add. et Lib. de *Curiositate* pag. 519 sqq.

^o) Lib. II. de *Arte Amand.*

tantoque arctius obligantur, ut commissa sibi fideliter secreta tacito sub pectore religiose condant ac custodiant, nec quidquam illorum, quae forsitan apud aegros viderint, aut inaudiverint, tacenda potius, quam dicenda, fracta temere fide, et rupto impudenter silentio, in garrulum ac malignum vulgus, sua certe culpa, libere emanare permittant. Sed ne ipsa hic definit testimonia valida solidaque, nec illis fides certa et intermerata; agendum, ipsum iam si lubet, producamus **HIPPONICATEM**, tanquam testem incorruptum et omni quidem exceptione maiorem.

§. VI.

Sic igitur ille Medico faustis auspiciis arduam suam artem inchoaturo, praeter varia alia praecepta saluberrima, plurimumque in progressu operis, profutura, sequentem potissimum auream sane vivendi regulam normamque serio iniungit seduloque commendat:^{r)} Δέδειτε σκοπέαν τάδε πρεστήν ψυχήν σωθεούσα, μὴ μόνον τὸ στρῶν, αἱλλά καὶ τὸν βίον πάντα εὐτελτον: Medicum vero in primis eo respicere ac diligenter animadvertere oportet, ut animum habeat modestum ac temperatum, non solum, quod ad tempes tivum silentium attinet; sed et circa omnem praeferunt reliquam vitam, probe moderatum, ac concinne ordinatum. Sed et alibi^{s)} porro, Medicis probis, inter alia plura salutaria monita ac hortamenta, severe praecipit, ut praecipue sint πρέστες τὰς ἀνεστατικὰς οργανώσεις τὰς ἀποστρέψιας ἐνθυμητικοὺς καὶ παρεγγειούς: Ad obiectiones ac tumultus taciturni; item ad silentia tenenda, animo at tento

^{r)} Lib. de Medico, init. pag. 44. Tom. I. Opp.

^{s)} Lib. de decenii Ornatū, pag. 53. ubi conf. MATTHIAE Not. pag. 53. et Comment. III. pag. 92 sqq. et VALLEROLAE Enarrat. Med. X.

Lib. IV. p. 621 sqq. et Enarrat. V. Lib. VI. p. 849. item MEIBOM. in Iusiar Hipp. c. XIX. p. 190 sqq. et Medicorum Siles. Satyr. Spec. IV. pag. 83.



tento et obfirmato praediti, ac continentis, et tolerantis, ut interim locum hunc obscurum adhuc atque ambiguum sic quidem interpretari modeste liceat.¹⁾ Sed longe clarior graviorque simul istius certe sanctae promissionis est sensus, quando Medicus iamiam sacris artis medicinae arcanis ac mysteriis initiandus, religiosa fide, iurare adigitur:²⁾ Ἀδην ἐν Θεραπείᾳ, οὐδω, οὐδέτοι, οὐδὲ ἀνεύ Θεραπείᾳ, πατέται βίον αὐθεόπων, οὐ μὴ χρή πότε εἰκαλέεθαι· οὐδω, συγνόμου, ἀρέστα θρέψυμενος ἔνοι τὰ τοιαῦτα: Quaecunque vero inter curandum, ipse videro, aut etiam audiero, immo etiam ad medicandum non adhibitus, in communī quidem hominū vita, oblata forsan occasione, cognovero; ea cuncta, si quidem foras effere non contulerit, alto mecum silentio pertinaciter premam, nec unquam publice promam; sed tanquam sacra arcana, quae profane effari nequaquam decet, intus, apud me religiose servabo, ac sollicite custodiā. Quorsum et manifeſte ac luculentē respexit B. HIERONYMVS³⁾ ad hunc ipsum insignem plane ac memorabilem HIPPOCRATIS locum aperte provocans: HIPPOCRATES adjurat discipulos, antequam doceat, et in verba sua iuvare compellit; extorquet sacramento silentium, sermonem, incessum, habitum, moresque praeſcribit. Haec quidem ille: unde simul clarissime patet, ut id hic tantum obiter; sed non plane intempestive, ut spero, adicere liceat, HIPPOCRATE.

¹⁾ De vero huius obscurioris loci sensu, non infer se fatis conueniunt docti Interpretes, ut videre est apud FOESIVM, ZWINGERVM, et DACE RIVM, qui tamen p. 183. ipsam HIPPOCRATIS mentem minus affequunt videtur, si fateri liceat.

²⁾ In Iureurando, pag. 43. Tom. I. Opp.

³⁾ Epist. III. ad HELIODORVM, Conf. MEIBOM. ad Iuriand. HIPPOCRAT. Cap. XIX. pag. 193. et in primis Cap. I. pag. 10 seqq. ubi plura testimonie luculentissima simul adfert Auctor. Vid. et DACE RII Not. ad verf. Gallic. opp. HIPPO. Tom. I. pag. 149. item IOANN. RHOD. ad SCRIBON. LARG. pag. 22. et DAN. VINK Amoenit. philol. Med. Sect. I. cap. I. pag. 35 sqq. et Sect. III, cap. 6. pag. 353 sq.

POCRATEM ipsum huius certe religiosi iuris iurandi verum unicunque esse Autorem, quod ipsum contra, virum doctum quidem; sat ingenio abusum, aliosque nonnullo frustra et sine ulla sufficienti ratione, negantes et inaniter obloquentes, iam dudum alibi fusi ac disertius, vi fallor, probavimus¹⁾ sed de his hactenus.

§. VII.

Sic itaque quisvis Medicus probus, honestus ac peritus, maximam certe partem, mutus quasi esse debet, quoniam nempe *Artem* tractat *mutam*, quae opere magis exercetur, quam ore, et mente potius manuque peragitur; quam lingua, aut verbosa loquacitate. Qualem nobis fere ad ipsius **HIPPOCRATIS** exemplum, **MARSILIVM** illum **CAGNATVM**, Medicum praestantissimum scite describit, aut vivide potius depingit **IAN. NICIVS ERYTHRAEV^s**.²⁾ Rarissime enim loquaces Medici sunt sagaces et veraces; sed ipsi quidem haud modeste silentes, plerumque aegrotos suos ante diem, imprudenter demittunt ad *tristia regna silentum*, ut poeta ait.³⁾ Recete proin **MENANDER**, five quicunque demum ille fuerit, olim dixit: *ιατρος αδελεχος νοσησι πελην γετος*, *Medicus Loquitor Morbus aegro fit novus*, sicut ipse **HIPPOCRATES**⁴⁾ talem Medicum garrulum, petulantem, ridentem semper ac nimium hilarem summo certe iure, vocavit *φρεγινόν*, *onerofum*, et ipsi hinc aegroto *intolerabilem*; *σφαλε-εν γαρ οὐχ ευπτωσος η μετ' αδελεχήντος, λεχέντος*, fallax enim et ad *la-
psum* erroremque valde proclivis est *affirmatio*, quae nimia cum garru-
litate, a Medico temere effutitur et effunditur, ut alibi vere et acute
pro-

¹⁾ Lib. de **HIPPOCRATE** *Atheismi falso accusat.* in *Opuscul. Med. philol.* Tom. II. pag. 165 seqq.

²⁾ *Pinacothec. I.* pag. 98.

³⁾ **VIRGIL.** Lib. VI. *Aeneid.* ubi plura in *Comment. la CERDA* p. 643.

⁴⁾ Lib. de *Medico*, pag. 45.

❧ ♚ ⚡

pronunciavit idem HIPPOCRATES.^{a)} Hinc recte sane ac sapienter censuit IANVS DAMASCENVS^{b)} Magis omnino convenire, Medicum efficacem esse in opere, quam ore loquacem.

§. VIII.

Inde igitur nunc paullo clarius, ni fallor, patebit, quare VIRGILIUS^{b)} ipsam Medicinam, sive *usum medendi*, singulare prorsus epitheto, et perquam ambigua commendatione, *Artem mutam* dixerit. Quae ipsa nempe ars sic dicta muta permultos doctos viros et interpres, a longo iam tempore, difertos, immo et saepe loquaces fecit, donec relictis tandem conjecturis haud semper prosperis atque appositis, rursus sua quidem sponte, obmutescerent, quos longa serie, coniunctim recenset VINKIVS,^{c)} quibus tamen addendi adhuc merito sunt IACOB. THOMASIVS^{d)} ut et GEORG. MATTIAE,^{e)} praesertim vero Medici illi elegantissime ac solidissime docti, huiusque longiore certe Vita omnino dignissimi, IO. HENR. SCHVLZIVS,^{f)} ac CAROL. FRID. HVNDERTMARKIVS,^{g)} ambo mihi olim

^{a)} Lib. Praecept pag 61.

^{*}) In *Aphorif. Med.* pag 8 fqq.

Conf. ROD. ACASIRO *Med. polit.* Lib. I. cap. XII. pag 52.

^{b)} Lib. XII; *Aenid.* v. 396 fqq. ubi vid. SERV. *de la CERDA*, EMMA-NESS. FVLV. VRSINVS, et in primis TAVBMANN. nostr. in *Comment.* pag. 1037. item et GRONOV. ad PAPIN. *STATII* Lib. IV. *Thebaid.* pag. 385.

^{c)} *Amoenitat. philologico-Med.* Sect. III, Cap. VI, pag. 453 fqq.

^{d)} In *Programmate XXIV. de Arte Med.* inter dislertat. LXIII. a FIL. CHRIST. THOMASIO editas.

^{e)} In *Comment. περὶ χρέων αἰδοῖσιτος* pag. 230 seqq. *Append. ad Tract. de Philosophia Med.*

^{f)} In doctiss. programmate *de Artibus mutis*, Halae, 1732. et in *Hift. Med.* Per. I. Sect. II, cap. 4. p. 126. 135.

^{g)} In Lib. singulari elegantiſſ. *de Incrementis Artis Med. etc.* Sect. I. pag. 18 seqq.

9

olim amicissimi; at nunc eheu! in extrema hac mea ac deserta
senectute, longe desideratissimi. Primo enim, ut eo iam
decenter redeam, unde hactenus paulisper digressus fui; Ars
quidem Medica iure muta, dicta videtur a summo isto Vate,
in primis ideo, quoniam sub ipsa sancta silentii fide, per religio-
sum nempe sacramentum, ipsi Medico Aegros tractaturo, illa
committitur ac commendatur, ut modo latius demonstratum.
Deinde, quia Morbi ipsi non eloquentia, sed Remediis, curantur; quaer-
si quis elinguis, usu discreta, bene norit, hunc aliquanto maiorem Me-
dicum futurum: quam si sine usu, linguam suam excoluerit, ut CEL-
SVS^{b)} acute loquitur, et SENECAⁱ⁾ pariter, item LVCIA-
NVS,^{k)} QVINCTILIANVS,^{j)} PLINIUS,^{m)} ARISTIDES,ⁿ⁾ LI-
BANIVS,^{o)} DIO CHRYSOSTOMVS,^{p)} ANDRONICVS RHO-
DIVS,^{q)} AVL. GELLIVS^{r)} ipse CICERO,^{s)} et alii plures, alibi
a me iam laudati, et in testimonium producti.^{t)} Porro quo-
que Medicina hic sat commode vocari poterat *Ars muta*; quo-
niam nempe non vocalibus solum hominibus; sed etiam ipsis
simil animalibus mutis mederetur: neque enim olim puduit ve-
teres Medicos, etiam doctissimos, vel ad sanationem ipsorum
humaniter et officiose descendere atque bipartita veluti opera,
andriatricam et *theriatricam* artem una exercere: quod ipsum sa-
lutare

b) Praefat. ad Lib. I. p. 10. i) Epist. LXXXV.

k) In Hippia, pag. 354. Tom. II. Opp. l) Declamat. VIII. p. 135.

m) Lib. XXVI, cap. 2. et Lib. XXIX, c. 1.

n) Tom. II. Opp. per SAM. IEBB. pag. 104.

o) Declamat. XXXIX. pag. 838. et Ep. CXX.

p) Orat. XXXIII. pag. 395.

q) Paraphras. Eth. Nicomach. ARIST. X, 13. pag. 520 sqq.

r) Noft. Att. Lib. XVIII, cap. 10.

s) Lib. III. de Offie. c. 6. et Lib. I. de Oratore in fine.

t) Conf. hoc, si placet, MATTHIAE Commentar. de usu in Medicina
doceri nestio, pag. 267 sqq. et pag. 269 sq.



lutare negotium ipsum adeo magnum nostrum **HIPPOCRATEM**,
vel certe eius fratrem, **SOSANDRVM** utrinque, serio seduloque
agitasse, vel ex ipsius *Hippiatricis* adhuc publice protestantibus,
clarissime patet, ut alia nunc faceamus. Hinc ergo hanc ipsam
in rem, sic luculenter atque significanter **MANILIUS**, Lib. V.
348 fqq. pag. 119.

*Ille tenet medicas artes per membra ferarum,
Et non auditos mutarum tollere morbos. etc.*

Et manifestius, ibidem, nonnullis interiectis, pag. 128.

*Vilibus ille etiam sanabit vulnera succis
Quadrupedum: medicas artes in membra ferarum
Noverit, humanos et quae naſcentur in uſus.*

Ad quos eximios plane poetae sublimis locos, conf. **ROS. SCALIGERI** *Comment.* pag. 390. et pag. 420. item **GRONOVII** *Obſ. crit.* Lib. II. cap. XI. pag. 296. ut et **IVL. FIRMIC.** et **VEGET.** de *Arte Veterinar.* in *praefat.* et *passim.* Inde igitur ipsum quoque **VIRGILIVM** nostrum una quidem manu hominibus opem medicam attulisse; altera vero animalibus quoque *mutis*, liquido in eius *vita*, testatur *Donatus*, et aliunde etiam satis constat. Quare hic quoque adiectum forsitan esse videtur singulare illud et inusitatum *Epitheton inglorius*; ideo scilicet potissimum, quod aut nulla prorsus, aut certe perquam exigua gloria, ex arte illa *hippiatrica*, sive *veterinaria*, ac *Mulomedicina*, esset omnino speranda et expectanda, ut apposite quoque observavit **VEGETIVS** in laudata modo *praeſatione*. Sed de his nunc quidem haec tenuis.

§. IX.

Sed denique etiam Ars salutaris hic inter *artes* quidem *mu-*
tar relata forsitan fuerit, ex ea potissimum ratione, quoniam de
ipsa in primis *Chirurgia*, illa nempe vetustissima ac primaria
ipsius

ipsius Medicinae parte ac parente, ut vel ex HOMERO, et aliunde constat, indice videlicet laudato iam CELSO,²⁾ praecipue proprieque hic ipse controversus poetae locus videtur intelligendus. Postquam enim iste dixerat de bono illo et pio in depositum fere parentem filio, IAPYCE:

Scire potestates herbarum, usumque medendi

Maluit, et mutas agitare, inglorius, artes,

Mox velut explicationis et illustrationis gratia, ibidem addit:

Multa manu medica, Phoebique potentibus herbis,

Nequidquam trepidat, nequidquam spicula dextra

Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.

Nempe hic *Manu medica*, emphaticē ac significanter dixit, ut sic liquidius ac manifestius exponeret antecedentes *Artes mutas et usum medendi*, qui scilicet hic omnino consistebat in mera arte manuaria, sive chirurgica, quae nempe muta plane est ars, dum tacita potius manus promtae ac peritiae operatione; quam sonora linguae disertae oratione, peragitur, ac *ferro magis* exercetur, quam *verbo*. Sive, ut ipse poeta id scitissime expressit: *Spicula dextra sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.* Minime ergo clamorosa per se est; licet saepius inde acerbos clamores edere cogantur ipsi dolentes aegroti, quibus

B 2 tamen

²⁾ Praefat. ad Lib. I. init. et Praef. ad Lib. VII. pag. 405 sq. conf. DIO-DORI SICULI Lib. IV. c. 71. pag. 315. Tom. I. ibique Cel. WESSELING. item MAXIMI TYR. Diff. XXIX. p. 294. AELIAN. de Nat. Animal. Lib. II. cap. 18. PINDAR. apud MEIBOM. ad Iusur. HIPP. pag. 154 sqq. PERIZON. ad AELIAN. Hist. Var. Lib. III. cap. 7. pag. 209. MENAG. Amoenitat. Iur. Civil. Cap. XXXV. pag. 226 sqq. DAN. CLERICI Hist. Med. T. I. Lib. I. c. 14. pag. 41 sqq. PLATNERI Opuscul. Med. Tom. II. pag. 3 sqq. ac tandem IAC. PALMERI, Disquisit. de Medicina tempore mythico usitata, in Miscell. Obsf. Crit. Vol. X. Tom. III. pag. 336 sqq. ubi tamen ex parte ille contrarius est, ut alios Auctores nunc taceamus.



tamen, CELSO³⁾ recte sic iudicante, moveri neutiquam debent ipsi Chirurgi, illorum quidem saluti promovenda unice intenti, dum nempe sic dolores utiles adferunt, et tormentis tormenta distinguunt, ut acute loquitur TERTULLIANVS. Crudelis enim veluti misericordia omnino foret,²⁾ si ob illos modo clamores, paullo post, sua sponte cessaturos, ipsi certe timide nimis et inconfiderate cessarent ab incepto suo opere feliciter exsequendo. Hinc semper potius quam diligentissime observare debent saluberrimum istud S. CYPRIANI²⁾ praeceptum: *Aperiendum vulnerum est, et secundum, et putredinibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet, et conqueratur aiger, impatiens per dolorem; gratias tamen aget postmodum, quum senserit sanitatem.*

Quibus etiam perquam apposite respondet simillima ista TERTULLIANI sententia⁴⁾ *Vulans ille aegrotus, et gemens, et mugiens inter manus Medici, postmodum easdem mercede curabilis, et artifices optimas praedicabit, et saevas iam negabit.* Sed haec quidem ad illustrandum illum eximium CELSI locum, data commoda certe occasione, veluti in transitu, obiter adiecta, iam sufficiant: licet, quod neutiquam ignoramus, simillima in hunc ipsum sensum medicum et ethicum, loca sane quam plurima, ubique

³⁾ Lib. VII, Praefat. pag. 406.

²⁾ Conf. huc B. PLATNERI Orat. IV. de crudeli Misericordia Medicorum pag. 44 seqq. in primis vid. pag. 48.

²⁾ Serm. V. de Lepfr. Conf. RITTERHVS. ad SALVIANI L. VI. de Gubernat. Dei, pag. 248 seqq. in primis BARTH. Lib. XLV. Adversar. Cap. XXIII. p. 2109 lqq. et ad CLAVDIAN. pag. 1347 lqq. add. PECHLINI Obs. Med. XXVII. Lib. III. p. 467.

²⁾ Lib. Scorpia. Cap. V. pag. 491. Conf. et Lib. de Poenitentia, cap. X. pag. 128. add. LIBANII Declamat. XLII. pag. 890. et BASILII M. Concion. II. pag. 461. Tom. II. Opp. et passim alibi. idem TITI BOSTRENS. Lib. II. contr. Manich. in CANISII Lect. antiqu. Tom. I. p. 110. ut et MAX. TYR. Diff. IV. pag. 39. ARISTID. Orat. de Concord. pag. 533. Tom. I. Opp. et al.

ubique occurrant apud patres praesertim Graecos, IOANNEM
nempe CHRYSOST. GREGORIVM NYSSEN. BASILIVM MAGN.
THEODORETVM, CLEMENTEM⁴⁾) aliosque plures, ut iam ali-
bi a nobis observatum: et in primis a THOM. GATAKERO,⁵⁾
quae tamen ipsa huic quidem operose congerere, iam certe nec
placet, nec licet, quoniam nempe non proprie huius sunt loci,
sed potius alterius. Quare nunc de his sat.

§. X.

Ex haec tenus igitur dictis et observatis nunc luculentius,
spero, apparebit, quare ipsa Medicina clinica, praesertim autem
Chirurgica, ut et empirica, dicta olim potissimum fuerit muta,
elinguis, et infacunda potius, quam facunda ac diserta: Quo-
niam nempe illa ad eas in primis Artes pertinet, ἀν μὲν ἐγγόνια
τὸ πολὺ εἴη, καὶ λόγια βερακέα δέονται. Εἶναι δέ, ἔδεις. αἱλα τὸ τῆς
τέχνης περιεύσθαι ἄν, καὶ διὰ στρῆτος, οἷον γραφική, καὶ αἰδεῖσαντοποίησι,
καὶ ἀλλακτοῦσι. κ. τ. λ. quarum aliquae in opere tantum ipso plurimi-
num versantur, verbis autem parum admodum indigent; nonnullae vero
ex illis, quae nullo profus sermone opus habent; sed etiam per solum
silentium, concinne et artificiose perfici possunt, quemadmodum scilicet est
ipsa Ars pictoria, statuaria, aliisque artes per quam multae, uti SO-
CRATES sapienter et acute pluribus disputat ac demonstrat
apud PLATONEM.⁶⁾ Ut ergo nunc demum omnia paucis com-
plectamur, omnis quidem Medicus probus; verus ac in sua
arte

B 3

⁴⁾ Condit. Apostol. Lib. II. Cap. 41. pag. 253. Patrum Apostol. Tom. I.
Edit. CLERICI, ubi vid. Not. 10. BAPT. COTELERII.

⁵⁾ In Comment. ad MARC. ANTONIN. Lib. V. pag. 148 seqq. ubi loca
quam plurima hanc ipsam in rem, undique operose collecta, longa
quidem serie, coniunctim exhibet, ut paene nimia videri possit ope-
ra ibi anxiæ quasi impensa.

⁶⁾ In Gorgia, pag. 282 seqq. Conf. CICERONIS Lib. III. de Oratore,
c. 7. et GRONOV. Not. ad PAPIN. STATII Lib. IV. Thebaid. p. 385.

❧

arte perfectus, debet omnino esse veluti **HIPPOCRATES**, solando nempe, consulendo, medicando atque servando; sed et simul quasi *Harpocrates*, silendo, meditando atque observando. Medicis enim curantes, modesti et reticentes, semper suo merito magis ubique aestimantur; quam quidem currentes, molesti, edicentes, et vociferantes potius, quam opem ferentes, ut satis ubique notum. Ceferum huc vel maxime referenda et conferenda est doctissima B. RICHTERI mei dissertatio *de silentio medico*,^{e)} nuper demum, sed iusto serius, ad me perlata, quum scilicet haec omnia iam dudum essent a me perscripta: quare nihil prorsus ex illa certe transumere potui, nec etiam volui, ut cuivis utrumque scriptum inter se diligentius comparaturo protinus, spero, sat manifestum erit. Sed de his nunc haec tenus.

§. XI.

Verum iam tandem fileamus de *Medicorum silentio*, et loquamur potius de *silentio aegrotorum*, isti quidem plane opposito atque adverso. Quantum enim Virtutis, laudis, dignitatis ac securitatis *tempesstivum silentium* omnino habet apud ipsos Medicos, ut haec tenus certe latius demonstratum; tantum profecto Vitii, reprehensionis, periculi, immo et saepius ipsius exitii e contrario, *intempesstivum* habet *silentium* apud ipsos aegrotos. Multi enim illorum Medicum iusto serius arcessunt, salutis nempe suae negligentiores, nec illud *ovidii*^{f)} saluberrimum monitum, alias satis quidem notum, attentius secum perpendunt:

Prin-

^{e)} Vol. nempe II. *Opuscul. Med.* nuperrime editor. p. 97 seqq.

^{f)} *de Remedio Amoris*, v. 91. Conf. hoc WEITZ. ad TERENT. *Eunuch.* pag. 243 sq. item ad *Adelph.* pag. 491. et pag. 504. ut et DIETERICI *Iatr. Hipp.* pag. 237 seqq. item PETIT. ad *ARETAEVUM*, p. 215.

Principiis obſta! ſero Medicina paratur,

Quam mala per longas convaluere moras;

*Quam ipsam egregiam ſententiam aliis tantum verbis, ita ſcīte
expressis ſeverus ille Satyricus, ſcīlicet PERSIVS:^{z)}*

Helleborum fruſtra, quum iam cutis aegra tumebit.

Poscentes videns: venienti occurrite morbo!

Hoc nimirum omnino eſt, quod iam dudum breviter quidem; at graviter tamen ac ſolide, ita pronunciaverat ipſe noſter HIPPOTOCRATES:^{b)} τὰ νετήματα χεὶς ἀπὸ δεκάς ιαθόη, Morbos mox ab initio ipſo, curare oportet. Cuius ſapientiſſimi praecepti cauſam ac rationem veriſiſimam alibi^{c)} ſic reddidit per quam luculenter: οὐδὲ γαρ νετήματα εἴσθεν ἀπὸ μικρῶν προφεδίων μεγάλα οὐδὲ πολυχρέων νίκαιοι. Solent enim Morbi ipſi ex parvis admodum occaſionibus ac cauſis ſaepius magni, pertinaces ac diuturni fieri. Vnde ex hiſ ipbiſ ſolidiſ rationiſ reſte concluſit IOANNES CHRYSOSTOMVS^{d)} ἐπὶ τῶν σωμάτων τὰ μέγιστα ὄντες νετήματα, ὅτου τὰ μικρὰ κατα- Φεονται: In ipbiſ namque corporiſ, Morbi tum vehementius augescunt, et inde fiunt maxiſi, quando, quum adhuc ſint parvi ac debiles, temere negliguntur, ac nimis ſecure contemnuntur. Quod iſipſum paſſim ſedulo quoque monuerunt BASILIVS MAGNVS,^{e)} LIBANIVS,^{f)} THEMISTIVS,^{g)} MAXIMVS TYRIVS,^{h)} et praeſertim HYPERIDES,ⁱ⁾ aliique plures.

§. XII.

^{z)} *Satyr. III. v. 63. 64.*

^{b)} *Lib. de Locis in Homine*, pag. 388. *Conf. praecept.* pag. 67. et *MICH. APOSTOL. prov. 41. Cent. IV. p. 47.* ibique *FANTINI Not.* pag. 298.

^{c)} *Lib. de Affecl. pag. 181. Tom. II.*

^{d)} *Homil. XII. in Cap. VII. Epifl. ad Rom. pag. 161. Tom. IV. Opp. in Nov. Test.* ^{e)} *Epifl. CCLXXX. p. 273. Tom. III. Opp.*

^{m)} *Sermon de Vita ſua*, pag. 5 feqq.

ⁿ⁾ *Orat. XXII. pag. 272.* ^{o)} *Diffrat. XXXVI. p. 357.*

^{p)} *Apud SROBAEVVM, Sermon. XLIV. pag. 314. et NEANDRVM, Gnomolog. pag. 196.* *Conf. huc etiam, si placet, Opuscul. noſt. Med. philol. Tom. III. pag. 255.*



§. XII.

Dum enim miseri isti aegroti, inter spem metumque veluti suspensi haerent, et in diversas sibique plane oppositas confidentiae, aut diffidentiae, spei, aut desperationis, partes iusto diutius, anxie dubieque distrahuntur, ita, ut nimis sero secum deliberent, quid semel sit de salute sua ambigua statuendum, et an proinde ipsum Medici officium tandem implorandum; ipse interea Morbus, sibi negligenter relictus, nec ullis idoneis remediis in tempore opportune oppugnatus, ita saepius tacite increscit et invalescit, viresque tantas adquirit eundo, immo currendo ac properando, ut deinde difficillime et aegerrime subigi et expugnari possit; immo interdum arte ipsa longe superior et inexpugnabilior factus, ipsam naturam iamiam subactam et penitus oppressam, ferociter pervincat, ac tristem denique mortem flebiliter inferat. Quae mox ab ipso Morborum initio, ista adhuc tenera tenuisque iphus Mali origo, parva veluti scintilla levi adhuc opera, facile est extingueda, ne scilicet inobligata et incustodita sibique secure nimis relictâ, auctis sensim viribus, in flammanu, postea vix compescendam, subito erumpat,

Nam neglecta solent incendia sumere vires.

Vt apposite ait poetaⁱ⁾ atque eundem certe in sensum, CVR-
TIVS:^{j)} Parva saepe scintilla, contenta, magnum excitavit incen-
dium: *Nihil tuto in hoste (hic, in Morbo) despicitur: quem sprevetis,
valentiorem negligenter facies.* Namque omne Malum nascens facile
opprimitur: inveteratum fit plerunque robustius, uti ipse CICE-
R^{k)} eandem sententiam scite expressit. Ceterum perquam
appositam istam comparationem inter exiguum quidem scintil-
lam

ⁱ⁾ HORAT. Epist. XVIII. Lib. I.

^{j)} Lib. VI. Cap. III. ubi vid. FREINSHEM. LOCEN. et alios Interpret.

^{k)} Orat. Philipp. I.

lam, et parva primum ipsorum Morborum initia aptissime quoque instituit ALEXANDER TRALLIANVS,¹⁾ ut ARETAEV²⁾ aliosque iam taceamus, sed haec iam de his sufficient.

§. XIII.

Deinde vero graviter quoque in semetipsos, et in Medicos simul, peccant aegri, quando veras suorum morborum, praesertim sordidorum et obscoenorum, caussas et origines, a Ventris Venerisque intemperantia atque libidine, vitiatisque per desidiam atque luxuriam, moribus, potissimum deducendas, vel ex fero nimis et intempestivo pudore, vel ex morosa etiam pertinacia, subdole reticent, nec ipsis Medicis sedulo in eas quidem inquirentibus candide recitant et aperte ingenuique, ut certe decebat, confitentur, ut nempe isti, cognitis sic ac perspectis ipsis morborum abstrusorum cauiss veris et intimis, tanto facilius feliciusque, per idonea praesertim et apposita remedia ac praefidia opportune adhibita, morbos ipsos alacriter debellare ac fortiter denum expugnare possint. Namque non intellecti nulla est Curatio Morbi, ut poeta³⁾ vere et acute ait, et ipse quoque CELSVS⁴⁾ in eundem sensum: *Neque posse scire Medicum, quomodo morbos curare conueniat, qui, unde hi sint, ignoret.* Quod ex ipsius HIPPOCRATIS⁵⁾ uberrimo fonte ac solido fundo haustum ac derivatum: *εἰ γάρ τις εἰδέται τὴν αἰτίαν τῆς νευρίατος, οἶστος τὸν ἄνταν, προσφέρειν τὰ ξυμφέροντα τῶν ἐν τῷ σώματι.*

ēz

¹⁾ Lib. XII, Cap. II, pag. 685.

²⁾ Lib. II. de Cauff. ac Signis Morbor. Chron. Cap. XII. pag. 66 ubi conf. PETITI Comment. pag. 215. et in primis DIETERICI Latreum Hippocr. pag. 237 seqq. et pag. 1079. item WEITZ ad TERENT. Adelph. pag. 504.

³⁾ CORNEL. GALLVS, seu rectius, MAXIMIANVS, Eleg. III, 54.

⁴⁾ Praefat. ad Lib. I. pag. 4. ⁵⁾ Lib. de Flat. pag. 400. Tom. I.

C



ἐν τῶν ἐναγτίων ἐπισάμενος τὰ νετρήματα: Si quis enim ipsam veram ipsum
Morbi causam probe perspexerit, atque intimius cognoverit; tum sane
sat potens et efficax erit, ad ea commoda adserenda, quae ipsis corpori
appprime conducant; contraria nempe corporibus ipsa morborum natura
sic clare perspecta atque manifestius indagata. Nihil ergo ipsos qui-
dem Medicos clanculum celandum; sed omne potius, etiam
turpiculum interdum, obscoenius ac pudendum fuerit, fidelis-
ter illis revelandum; nam tutis deponunt auribus omnia, ut cum
poeta^{a)} sic loquamus, quoniam Medici tacere didicerunt, et
per ipsum religiosum sacramentum ipsis prius severe impositum,
ad saerum silentium, praeterea, serio adguntur, ut iam su-
pra manifestius demonstratum. Vbi enim nulla confessio; ibi
nulla quoque absolutio, ut vulgo recte dicitur, et ubi nulla lo-
quela, aut querela; ibi nulla etiam est medela, ubi denique
nullum est gravamen, ibi quoque nullum esse potest levamen,
ut ita cum CASSIODORO, iam loqui liceat. Eiusmodi igitur
aegrotis, aut nimium verecundis, ac timidis, aut contra, ni-
mis pertinacibus ac morosis Medicus probus, pius ac miseri-
cors saepius serio et instantissime acclamare debet suo quidem
sensu, saluberrimum istud et plurimum profecto profuturum,
ipsius S. IACOB^{b)} Monitum: ἔχουσανθε τα παραπόματα,
ἔπως λαθῆτε: Confitemini vestra delicta, ut ita sanemini. Qualia πα-
ραπόματα, sive ἀμαρτίας quam plurimas suae certe salutis in-
curiosorum aegrotorum ipse late recenset HIPPOCRATES^{c)} δι-

ων

^{a)} HORAT. Od. 27. Lib. I.

^{b)} Epist. Cap. V, v. 16. ubi conf. WOLFI Cur. philol. T. IV. p. 83. et
ALBERTI in Obs. philol. in N. T. pag. 453.

^{c)} Lib. de detenti ornatu, pag. 58. Conf. et Lib. de Arte, pag. 6. et p.
11 item Praenot. p. 447 sqq et Lib II. Praedict. p. 491 sqq. conf.
BOHN. de Off. Med. Part I. cap. 7 pag. 167. et ALBERTI Diss. de
Confessione aegri erga Medicum, item STAHLII Diss. de Morosis
aegratis, et denique IUSTI VESTI Disput. de Aegroto mendace.

ῷ πολῶι πολλάκις διεψευστό, per quas multi eorum saepius mentiti sunt, atque inde, aut difficillime periculo emerserunt, aut suapte culpa miserrime perierunt. Frustra igitur occultant homines, si qua in membris, prava, aut debilitata, aut imminuta sunt, ut CICERONIS verbis opportune hic utamur. L. V. de Fin. cap. 17.

§. XIV.

Cuivis igitur morbis afflictorum suaequ hinc salutis rediturae cupidorum ea potissimum sui quidem officii imposita est necessitas, ut ad omnes certe quaestiones a medico fideli et officioso sibi propositas, et ab ipso nostro HIPPOCRATE^{a)} plus semel quam diligentissime, praescriptas et enixissime commendatas, postea vero ab ipso IVL. CAS. CLAUDINO^{c)} et nostro in primis BOHNIO,^{f)} uberioris expositas, candide in primis, pronite et aperte, sine ulla tergiversatione, cunctatione, aut intempestiva denique verecundia, respondeat nihilque prorsus, quod quidem ad ipsius morbi causam et originem spectat, tacito sub pectore recondat inexplicitum et inenarratum. Per huiusmodi enim fidelem errorum commissorum indicinam, tanto facilius postea pervenitur ad felicem Medicinam, et expeditiorem morbi ipsius solutionem. Ο γὰς ἵπτεος, ἦν μὲν ἀγένετη πρὸς τὸ ὄφθηναι, ἐξαρχέται καὶ πρὸς τὸ λαθῆναι, namque Medicus, si quidem ad cognoscendum ac contemplantum sufficerit: tum tanto promptius ac fortunatius sufficiet etiam ad sanandum, ut ipse HIPPO-

C 2

CRA

^{a)} Praenot. pag. 448 seqq. et Lib. VI. Epidem. pag. 802 sq. Tom. I. item Lib. I. de Morbis. pag. 2. ut et Lib. de Affect. pag. 182 sq. praesertim autem Lib. de Virtute Acutor. pag. 306 seqq. Tom. II. et passim alibi. Conf. IANI DAMASCENI Aphorif. 49. pag. 7.

^{c)} Lib. I. de Ingressu ad Infirmos, Cap. I. et II. seqq.

^{f)} Lib. de Officio Medici duplice, Part. I. Cap. VI. et VII. pag. 129 seqq. et pag. 140 seqq. perquam exacte conf. et ROD. A CASTRO, Med. polit. Lib. III. cap. 12. et passim alibi in isto docto opere.



CRATES^{a)} noster sapienter pronuntiavit. *Initium ergo salutis est notitia at confessio ipsius peccati, sicuti ipso SENECA^{b)} teste ac laudatore, perquam scite ac praecclare EPICURVS quondam monuerat. Malum enim, quum perseverat, augetur: at remediable bonum est in peccatum, accelerata correctio, uti recte iudicat CASSIODORVS^{c)}*

§. XV.

Inde ergo Morbi etiam ipsi propriis suis nominibus, tametsi horridis interdum, nauseosis et asperioribus, libere et ingenue sunt enunciandi; non autem contra, mitoribus ac mollioribus callide involvendi, aut ambigue et obscure circumscribendi; uti quidem frequentius, licet frustra et inaniter, hinc inde fieri consuevit, ceu ubivis certe notum. Sic, ut nonnulla id genus commenta hic exempli tantum causa, adferre licet, edax pertinaxque pulmonum *Tubes* nonnihil mollius, diuturna modo pectoris infirmitas saepius vocatur; sicut foeda diarrhoea ac dysenteria etiam, liquidum ventris profluvium ac corporis beneficium; sordidae *Haemorrhoides* nimis sane splendide, *aureae* dicuntur *Venae*; quum tamen *plumbeae* potius saepe sint, et ipso plumbio graviores: saevus ille *furo* *uterinus* mitissime *affectus* tantum *eroticus* seu *amatorius*, et ipsa illa dira duraque *Lues* *venerea*, *scorbutus* solum *venereus* generatim appellatur; sicut hocce novantiquum fere ut ita dicam, *nomen^{d)}* ex viro quodam illustri, ista quidem crudeli labe tabeque misere affecto

^{a)} Lib. de Arte, pag. 11. Tom. I.

^{b)} Epist. XXVIII. pag. 79. fine. ^{c)} Epist. XIV. Lib. III.

^{d)} Conf. 10. RHODII Comment. ad SCRIBON. LARG. pag. 317. et 465. et quos ibi laudat Auctores, quibus add. Scriptores aphrodisiacos a magno BOERHAAVIO denuo editos, ubi hanc in rem, plura, uti et apud NICOL. PECHLINVM, Obs. phystico med. XVII. pag. 175 sqq. et Obs. LXXII. Lib. I. pag. 194.

affecto quondam a Medico praesenti auditum. Nec sane hic desunt alia paullo honestiora Synonyma ac velamina, quibus lues ista inhonesta nonnihil mitigari et quasi obumbrari vulgo solet, v. gr. *Scabies venerea*, *Serpigo Indica*, *pudendagra*, *Impetigo venerea*, ac *variola magna*, ne plura incassum iam his adiiciam. Potius ad reliqua nunc, si lubet, strenue pergamus.

§. XVI.

Sic igitur porro Morbus ille epilepticus, visu plane terribilis et *infusatus*, ut cum *PLAVTO* loquar, mitius quasi, atque mollius, nuncupatur *Sacer*, *Herculeus*, *Comitialis*, *fonticus*, *lunaticus*, *caducus*, tandem et *puerilis*, cui notum: sicut saevissima ista et immedicabilis plerumque *Rabies canina* sub frigido tantum liquidoque *Hydro*-aut *Hydrophobia* nomine caute quasi, velatur. Foedus pariter luridusque *Iäterus* splendidis tamen titulis Morbi regii, aurei, seu *auriginis*, ac *chrysiasmi*, indigne superbit. Quomodo etiam nocturnus *Ephialtes*, sive *Incubo* onerosus, anxius ille et luctifer affectus, observante *CAELIO AVREL.*¹⁾ blandissime vocatur *Eopheles*, sive *frugifer* atque *utris.*²⁾ *Erysipeli* pariter, ut et *Herpeti*, latius serpenti nomen *ignis sacri* profane quasi, impositum est, et pernicioſissimae præfertim illius species, quae medium hominem ambit et plerumque suffocat, dicitur tantum generatim *Zoster*, vel *Iona.*³⁾ Tetra illa et ulcerosa faciei deformis *Rubedo* sub florido quasi et

C 3

amoē-

¹⁾ Lib. I. de Morb. Chron. C. 3. pag. 289.

²⁾ De quo vid. fusius, *Clinotechniae nostrae* Sect. III. pag. 79 sqq.

³⁾ Confl. huc IO. RHODII Not. ad SCRIBON. ARG. pag. 122. LANG.

Epist. Med. 3^a Lib. I. p. 133. DIET. *Iat. Hipp.* p. 478. SCHROECK,
ad HELLWIG. *Obs med.* 38. p. 142 item HOFFMANN. nostr. *Opp. Med.* Tom. II. pag. 104. et Tom. III. p. 426. ut et GEIER. de ZOSTER,
aliasque plures.



amoeno *Guttae rosaceae* cognomento utcunque latitat. Sicut
fordida capitis impuri tubercula *Melicerides* sive *favi*, ab ipso
dulci-aureoque *Melle*, perperam denominantur, prout etiam
letiferi plerumque *Carbunculi* splendido illo titulo frustra ornan-
tur, ut et foeda ulcera scabioſa *pavorum* tantum nomine mitius
denotantur.^{a)} Denique, ut plura alia, quae larga fane copia
adhus supersunt, iam confideate omittam, fordida *ani fistula*
in Galliis quondam *Regium Malum* superbe nimis, ut certe vi-
detur, appellabatur, quoniam tunc Rex ipse magnus coeco isto
et obscoeno intestini exulcerati tormento excruciatuſ aliquan-
diu fuerat, ut fama eo quidem tempore ferebat.

§. XVII.

Praesertim tamen *Arthritici* ac *Podagrī* hic merito nota-
di et culpandi sunt, qui nempe diutissime, quantum certe pos-
sunt, ab ipso initio, sua mala adhuc occulta, vafre celant ac
velant, atque alia mitiora et molliora nomina ipsis callide im-
ponunt, aliasque ipsorum causas et origines, innocentiores ac
remotiores anxie conquirunt, ne felicit in iustum forsitan suspi-
cionem Vitae non satis sobrie casteque peractae veniant, atque
inde merito derideantur ac traducantur, quoniam et ipsa no-
dosa podagra, et saeva arthritis saepius quoque Baccho et Ve-
neri, sive luxuria ac libidini luctuosos suos natales debet, uti
notum satis ex ARETAEO, GALENO, AETIO, CELSO, COE-
LIO AVRELIANO, IANO DAMASCENO, quin immo omnibus
Medicis, tam priscis, quam recentioribus,^{b)} praesertim autem
ex ipsa flebili experientia quotidiana.

§. XVIII.

^{a)} Vid. huc ROB. KEVCHENII Not. ad SEREN. SAMON. p. III.

^{b)} ut SENNEKTONISTRO, et SCHNEIDERO, SPIGELIO, PARAEZO,
TEVERO, SCRIBONIO, LOSELIO, SYDENHAMO, EOBANO
HESSO, BALLISTA, et aliis, qui Satyras aut Laudes in *podagrum*
scriple-

§. XVIII.

Istum igitur perversum ac morosum cunctandi, fingendi et fallendi morem ab ipsis quidem podagricis, in sua tamen dementia ac pericula, plerumque adscitum et quasi communi confilio, introductum, iam sua tempestate, ita perquam acute et facete perstrinxit SENECA,²⁾ ipse etiam a locuplete podagra, ut cum poeta satyrico loquar, (namque perquam dives erat ipse SENECA, ut notum) interdum tentatus, et a sensibili ipsius verminatione, seu formicatione, aut *pstellimo³⁾* subinde vexatus. Sic autem ille: *Pedes dolent, articuli punctiunculas sentiunt: adhuc diffundamus, et aut talum nos extorisse dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse. Dubio et incipiente morbo, quaeritur nomen: qui talaria coepit intendere, et utrosque pedes detortos fecit, necesse est, podagram fateri.⁴⁾* Haec tenus scilicet SENECA.

§. XIX.

Scripserunt, et coniunctim prodierunt Argentorati, 1570, et postea alibi quoque, sed sat.

²⁾ Epist. LIII. pag. 133.

³⁾ Conf. SENECAE Epist. LXXVIII. p. 238. item CAEL. AVRELIAN. Lib. V. de Morb. Chron. Cap II. pag. 558. et REINES. Var. Lect. Lib. II, cap. XVIII. pag. 289 sq.

⁴⁾ Foedum tamen hic mendum elegantem hunc SENECAE locum contaminavit. In omnibus enim Cod. MS. et impreffis, legitur: *utrosque pedes dextros, vel deſtrōs fecit: minus profecto dextre; sed ſinifre potius, et sine ſenu.* Inde LIPSIUS legebat: *detorſerit, vel diſtorſerit:* TANAQVILLVS autem FAER, Epist Crit. 35 Part. I. p. 89. malebat *tumficit:* Sed GVIL. PELLICERIVS hic ſubſtituebat: *Clo- daftrōs fecit,* apud FRANCIS C. VAVASSOREM, in *Antibarb.* p. 574. qui tamen ipfe ibidei, malebat legere: *aegros fecit.* GRONOVIVS vero contra morem ſuum, nihil plane hic monet, aut móvet. Nos denique ipſi interea legendum conieccimus: *detortos vel diſtortos fecit:* quo modo nempe ipſe SENECA alibi ſaepē loquitur, ubi de Podagra aut Chiragra agit. Sic Epist. LXVII. *podagra diſtortus,* et Lib.



§. XIX.

Sed hanc ipsam egregiam summi huius philosophi sententiam breviorem ampliore veluti Commentario, luculenter illustravit COELIUS AVRELIANVS:¹⁾ quem ut pace quidem Lectorum, uti speramus, integrum hoc commode transferamus, operaे omnino videtur pretium. En autem nunc ipsa illius verba: *Haec passio podagrīa initio, parvitatis cauſa, negligitur, et contemta, convalescit: quippe quum a multis minime credatur emergere. Aliqui denique digiti luxati, aliqui pedis versionem, aliqui cuiusdam rei calcatae, vel offensae duritiam, aut fervorem queruntur; tum necesse coacti, augmenti temporibus, in confessionem veniunt aegrotantes. Ob hoc igitur passio perseverare, atque corpora possidere meditatur. Non autem minus etiam longorum lenimentorum cauſa, quibus recessisse putatur, quam sanos, aegrotantes fingendo, promittit, adiuvante etiam intemperantia; qua cum saepe concipi passio perspicitur, manere posse, non dubitatur. Quibus ipsis omnino consona paene in omnibus ea sunt, qua de his vulgo quidem consuetis podagricorum technis ac fallaciis damnoſe confictis, pariter scite adnotavit ARETAEV^s:²⁾ item et LVCIANVS:³⁾ qui, ad Satyram scilicet natus,*

Lib. III. de Ira, c. 33. valetudinarius distortis pedibus: item Epist. LXXVIII. artus in diversum articulis exeuntibus, tortos et Epist. XCV. retorti digiti, articulis obrigentibus: quale fere et Epist. CI. et alibi occurrat; quod tamen cum multis id genus aliis, iam studio praetermittimus. Interim vero et hic sat commode, opinor, legi posset, detros, vel tetros fecit, item extrusos fecit, ut et extra usum, vel extorsum, fecit, aut exedros, aut exarthros, vel denique desides fecit, ut alia plura taceam. Sed praetulerim tamen hic cunctis, extortos, aut detortos, ut dixi, prout ipse quoque APULEIUS habet, Lib. V. Metam. pag. 94. ubi maxime vid. PRICAEI Not. pag. 262.

¹⁾ Lib. V. de Morb. Chron. Cap. II. pag. 560.

²⁾ Lib. II. de Cauff. et Signis Morbor. Chronic. Cap. XI. pag. 66. ubi conf. PETR. PETITI Comment. pag. 215. ³⁾ in Ocyopode,

natus, proinde, multo sale mordaci hos quidem insulfov
res probe defrictui, ipse licet ab implacabili illa dea, podagra
faepius, per vitam, saeviter, forsitan et haud prorsus iniuste,
flagellatus. Quorum praestantissimorum Auctorum loca ex-
imia, sed ampliora, et hinc ob angustum nimis spatium, huc
aegre traducenda, ibi commodius legisse ac diligentius expen-
disse, neminem sane poenitebit; praesertim, si simul studiosius
conferantur, quae eandem in rem, docte et acute observarunt
FELTMANNVS^{a)} DIETERICVS^{a)} et praecipue magnus noster
SENNERTVS^{a)} aliique plures, qui de arthritide, ceu rigida
matre, ac tarda claudaque ipsius filia, sive podagra, in com-
munes quidem usus, quondam luculentius sunt commentati.

§. XX.

Cuncta igitur haec scenica quasi ac mimica figmenta et
commenta ab aegrotis semper sunt quam diligentissime vita-
nda, ne ipsi nimis diu dubitando, cunctando, verecundando
ac silendo, rem suam tandem ita penitus perdant, ut eam deinde,
haud pari felicitate, ac notus ille Fabius cunctator, in in-
tegrum quidem restituere unquam valeant. Qui enim pudoris
magis memores, quam salutis, in partibus verecundioribus corporis
contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, ita cum sua eru-
bescientia pereunt, ut graviter vereque monet TERTULLIANVS^{b)}
et alibi^{c)} adhuc gravius ac vehementius: Nam et Medicinae
praefidium plures refugiunt: plures enim stulti, plures timidi, et male
verecundi: ubi sequentia sedulo conferantur. Quorsum et tan-
dem

^{a)} Lib. de dea Podagra, Cap. V. pag. 21, et pag. 27 seqq.

^{a)} Iat. Hippocrat pag. 237 seqq.

^{a)} Tract. de Arthritide, Cap. IV. pag. 25 seqq.

^{b)} Lib. de Poenitentia, Cap. X. pag. 127.

^{c)} Lib. Scorpia. Cap. V. pag. 491.

❧ ♚ ❧

dem apprime pertinet vera ista ac severa IOANNIS XIPHILIN^{d)} censura: τέτο συνίθειαν ἔχεσιν οἱ αἰγάλωντες, ὅτι ἡ βάλονται τινα τὴν νεσήματος ἔχειν μάρτυρα, καὶ πολλοὶ ἡθέλησαν μᾶλλον τοῖς αἰγάλωσημασιν ἐναποθανεῖν, ἥτὰς οἰνεῖς ἐπκαίνυψαν συμφοραῖς: Hoc quidem plerumque in more suo positum habent ipsi aegrotantes, ut nolint quemquam sui certe morbi habere testem: unde et multi in suis morbis, tacite mori maluerunt; quam intimas ac privatas suas calamitates palam revealare. Haec tenus egregie sane novus iste XIPHILINVS: Quae satis quidem exacte respondent simillimis ipsius PLVTARCHI.^{e)} Monitis grauissimis.

§. XXI.

Inde ergo verissime et acutissime simul, intempestiuum eiusmodi ac diuturnum nimis aegrotorum morosorum silentium cultissimum HELIODORVS^{f)} vocavit τροφὴν νόσων, seu Morborum pabulum ac nutrimentum. Sed audiamus iam potius ipsum sic dulce loquentem: πάθος ἄπαν, τὸ μὲν ὀξεῖς γινωσκόμενον, ἐνθυμητὸν τὸ δὲ χρέον παρεπεμπόμενον, ἐγγὺς άνιστον. Τροφὴ γὰρ νόσων ή σωπήν τὸ δὲ ἐκλαλέμενον, ἐνπαραγύθετον: Omnis passio, seu affectio, quae cito cognoscitur, perquam facile curari plerumque potest: Sed quae ipso quidem tempore, inveteravit, et iamiam in longius fixatum transmissa fuit; tum certe propemodum est infanabilis. Alimentum enim

^{d)} In Sermone sacr. V. de paralyt. nunc primum ex MSt. Mosquensi. edit. a Cl. MATTHAEI, in Anecdot. Graec. Vol. II. pag. 37. conf. 10. CHRYSOSTOMI Sermon. LXV. pag. 833. Tom. V. Opp. in quaedam loca N. T. ubi eadem extat sententia.

^{e)} Lib. de Curiositate, pag. 518. Tom. II. opp. et Lib. de sanitate tuenda, pag. 127 sqq. et pag. 129. conf. et Lib. de viatio pudore, pag. 528 sqq. item CICERONIS Lib. V. de Fin. Bon. et Mal. Sect. 17.

^{f)} Lib. IV. Aethiopic. pag. 167. Conf. huc et WEITZII Comment. in TERENT. Heantonimor. pag. 362. ut et BOURDELOTII Not. ad citat. HELIODORI locum, pag. 224. Edit. Lips. 1772.

enim Morborum est ipsum Silentium. *I*stud autem, quod ingenua confessione enunciatur, blanda certe consolatione mitique fomento commode admoto, facile leniri potest. Quo et omnino pertinet, quod alter ille scriptor eroticus, nempe ACHILLES TATIVS,^{s)} brevius, sic expressit. Ἀλγυνότερα γίνεται τὰ ἔλη τῆς σιωπῆς, Longe vehementius saeviusque dolent ipsa vulnera, vel ulcera, per silentium: dertius vero ac venustius ita enunciavit NICEPHORVS GREGORIAS:^{h)} ὥσπερ ἔλαιον, καὶ οὐρές, καὶ παλαιόν, καὶ χόρτος πυρὸς ἐπεφύκει τροφὴ, ὡς καὶ σιωπή. κ. τ. λ. Sicut oleum, et cera, item et stipula ac gramen ignis sunt nutrimentum; ita et silentium animi corporisque dolores pariter alit et auget. Qui locus certe insignis istam HELIODORI τροφὴν νόσων, superius propositam egregie prorsus atque apposite illustrat, ut quivis statim intelligit.

§. XXII.

Nec desunt sane moesta eiusmodi aegrotorum exempla, quin potius ubique contra spem ac votum, abundant; ex quibus liquidissime patet, quantum nocuerit ipsis, in morbis praesertim acutis, putridis, sordidis, obsecenis, ac contagiosis, obstinatum nimis et diuturnum silentium. Ita, ut e multis, pauca tantum hic commode pruducamus, de potenti illo Bojorum Regulo, LUDOVICO Secundo, sequentia candide refert gravissimus iste Historicus, IOANNES AVENTINVS:ⁱ⁾ *I*s morbo subito corripitur, genitalia intumuere: *I*pse pudore diu languorem tegit. Deinde perficata fronte, sero tamen, Medicos consultit; sed desperavit salutem, et ita obiit. Quo et maxime pertinet flebilis illa Historia, quam in Vita magni illius Medici ac Critici, MARCILLII nempe CAGNATI, ita, ut solet, perquam nitide ac latine

D 2

enar-

^{s)} Lib. II. de Clitoph. et Leucipp. Amor. pag. 129. Edit. SALMAS.

^{h)} Lib. VIII. Historiae Romanoe, p. 213. conf. ISIDORI PELVSIOT. Epist. VIII. Lib. III. pag. 458.

ⁱ⁾ Lib. VII. Annal. Boior. Cap. XI. pag. 689.



enarrat ille sic dictus, IANVS NICIVS ERYTHRAEVS:^{k)} Sed in curandis aliorum morbis, ita peritus ac sagax, CAGNATVS, non potuit unicum masculae prolis filium, in gravem morbum ex incontentia, prolapsum, ex anticipi eripere; sed ruentem ad interitum, sua etiam ope, adiuvit; sive fato aliquo, sive ipsa adolescentis culpa, quem pudore deterritum, parenti verus morbi causas puduit aperire. Nec multum sane dissimilis iste est tristis Casus, de ALEXANDRO MAGIO, eruditissimo Viro et poeta simul praestantissimo, ita candide relatus, ab eodem felicissimo Biographo, scilicet ERYTHRAEO^{l)} Mortuus ille est, ut quidam aiunt, ex stranguria; ut alii, ex Morbo, quem puduit Medicis aperire; quamobrem a curatione defertus, eum, nondum maturum, ad interitum dedit. Occurrunt quidem subinde et alia similia intempestivi silentii ac supinae et damnosae negligentiae exempla, apud eundem ERYTHRAEV, sive potius, ROSSVM, seu OSCIVM,^{m)} quae vero in praesenti certe, sciens lubensque praetereo, quoniam ad finem tandem properandum. Indicari tamen et ad diligentius legendum enixe commendari adhuc utique hic meretur singularis illa Historia horrida, de foeda foetidaque Colis gangraena, cum multis aliis diris durisque symptomatibus simul coniuncta, et iusto diutius ab ipso miserrimo sua quidem, ipsius culpa, aegroto celata ac negata; quam sordidissimam licet ac taedii fluentisque nauseae plenissimam, more tamen suo consueto, nitidissime, et ad ipsius filii romani purissimi formam normamque felicissime et facundissime enarravit humanissimus iste et Vita et moribus ac Litteris denique IOAN. NICOLAVS PECHLINVS.ⁿ⁾

§.XXIII.

^{k)} Pinacothec. I. pag. 98.^{l)} Pinacothec. II. pag. 98.^{m)} Conf. huc Pinacothec. III. pag. 91. et passim alibi, in isto elegantissimo Operc.ⁿ⁾ Observ. Physico-Med. XXIII. Lib. I. pag. 53. 54 et seqq.

❧ ♚ ❧

§. XXIII.

Plerumque vero latae huius culpae ex nimia sui negligētia, contractae potissimum rei fiunt diligentiores certe litterarum elegantiorum cultores, pudet quidem fateri. Studiis enim altius mente immersi, necessariam ipsius arte coniuncti corporis curam incaute abiiciunt; unde viribus sensim fractis, variis subito morbis tentantur: quos ab initio quidem plerumque; ceu facile transiituros, superbe quasi, contemnunt: tandem vero increscentibus illis, Medicum quidem implorant; sed, aut nimis sero; aut nimis perfuntorie et oscitanter, ipsius monitis auscultant, aut praeeceptis patienter obsequuntur: ²⁾ Saepius quoque nec Medicamenta, ceu nimis ingrata essent, immo nec clysmata, ex vitioso pudore, aut morositate, facile admittunt: unde sane non mirum, si postea multi ex eis, loco speratae salutis, mortem subito inveniant insperatam: Ita ipse HIPPOCRATES³⁾ suo iam tempore, complures observavit eiusmodi aegrotos, morosos magis, quam moratos, aut morigeros, qui perire atrociter malling; quam praescripta salutaria remedia, et ποτήρια μωρά, seu potionē nonnihil exofas et luxurioso nimis palato ingratas lubenter ac promte parateque assumere. De ipso autem chysterum usu, saepius quidem perquam necessario, quam plurimis tanaen aegris plerumque invito ac fructu formidabili, sequentia interim verissime et utilissime monuit ALEXANDER TRALLIANVS: ⁴⁾ πλλει τὴν γασέ-

D 3

εζ

²⁾ Conf. hoc MAXIMI TYRII *Dissert.* XLI. pag. 412 seqq. et DIOG. LAERTII Lib. IX. init. pag. 550. ibique MENAG. pag. 394. et *Clinotechniae nostrae* Sect. III. pag. 153 seqq. item CICERON. Lib. V. *de Fini.* Sect. XVIII. pag. 2529 seqq. Vol. VIII.

³⁾ Lib. *de decenti Ornatu*, pag. 58. Tom. I. Opp. per LINDEN.

⁴⁾ Lib. X. Cap. I. pag. 374. conf. hoc GREGORII NAZ. *Orat.* XI. pag. 185. Tom. I. Opp.



εα θεραπένειας ἐν ἀνέχονται, τὰ μὲν δεδοκότες, ἔθ' ὅτε δὲ καὶ ὑπὸ πολ-
λῆς σύγνείς ἐνθεῶνται: Multi per annum curari non sustinent; partim
inda metuentes, partim etiam ex nimia verecundia et castimonia, erube-
scentes: Ita enim locum illum, probabili admodum, ni fallor, coniectura, legendum potius censeo: quoniam prae *avīa*, ut
vulgo quidem ibi scriptum est, seu *trifilia*, aut *moerore*, nemo
fere erubescit; sed prae *avīa*, potius, sive *verecundia*, *modestia*
ac *pudore*, ut utique sane sat notum esse arbitramur.¹⁾ Sed re-
lictis nunc his certe aegris, nimis profecto delicatis ac fastidio-
sis, ad nostros potius illico redeamus doctos, Viros, variis qui-
dem morbis subinde correptos; et tamen, quod utique mirum,
et hinc vix laudabile, salutis suae, non in tuto vado, sed intu-
to et incerto potius fato adhuc collocatae, ex mera incuria
et focordia, (sit venia dicto!) plerumque iusto negligen-
tiores.

§. XXIV.

Sic igitur ipse LIBANIVS²⁾ notus ille orator disertissimus,
Morbo attonito derepente contactus et contractus, iusto diu-
tius

1) Singulari veluti fato, haec ipsa vox *avīa*, in Vett. Codd. confusa
faepius deprehenditur cum aliis similis paene soni ac scriptioris, vo-
ctibus. Ita pro ipsa, *avīa*, mala legitur apud HESYCHIUM, pag.
14. et praefertim, apud MAXIMVM TYRIVM, *Dissert.* XIX pag. 190 fi-
ne, e contrario, pro *avīa*, *avīa*, acute ibi observante et feliciter
emendante IO. CLERICO, in *Silv. philol.* Lib. I. cap. IX. pag. 270 sq.
accedeute quoque ipsorum MStorum fide, ut ibi probat etiam DA-
VISIVS, in *Notis*, pag. 623 sq. denique ipsa quoque mutata est in
avīa, sed sensu minus fano, apud ARRIAN. in *EPICET.* Lib. III.
Cap. 21. uti praecclare ostendit et sagaciter emendat IO. MEVRSIVS,
Lib. *de Eleusin.* Cap. VII. pag. 19. Sed fatis nunc de his; ne imme-
mores forsitan videamur ipsius *avīas*, seu modestiae verecundiae.

2) In *Vita sua*, pag. 5 sqq. Tom. I. Opp.

tius silendo, et necessariam Medicorum opem negligendo, in
 sumnum vitae periculum adducebatur, ut sero tandem et dif-
 fulter illo eluctaretur, uti ipsem et ingenue et aperte de se fa-
 tetur ac testatur. Quale quid etiam in suo portentoso ac mul-
 tiformi Morbo, fibimet ipsi propemodum accidisse, longa qui-
 dein serie retulit alter ille Rhetor facundissimus, AELIUS
ARISTIDES.¹⁾ Sed longo maius adhuc et seria attentione di-
 gnius, sive istius constantiae, sive pertinaciae, praebuit in se
 ipso, exemplum illustris ille patricius Genuensis, IOANNES
 nempe **VINCENTIVS PINELLVS**, stirpe, dignitate, virtutibus,
 doctrina varia, ingenio, opibus, et bibliotheca denique pae-
 ne regia, iuxta magnus, felix, praeminens ac praefulgens:
 Cuius singulares prorsus mores, in supremo quidem morbo,
 adscitos, et usque ad ipsius finem, constanter adseratos ita fi-
 deliter descripsit **ERYCIVS PUTEANVS,**²⁾ praesens tunc ipsius
 aegrotantis ἐμόροφος καὶ ἐμέτεροφος: In eodem malo durat PINEL-
 LVS; hoc etiam periculosus, quod confiteri malum non vult. Decu-
 buis, infirmitatis hoc onus sustinet, et morbum trahit, trahendus ipse
 mox, non immaturo fato. Dominus ipse morbum fateatur, necesse est:
 Sed illud difficile, ut, qui mortis omen sanus, fugit, infirmus, admit-
 tit; cum invita Hygia, nunc in ipso morbo, velit videri sanus. Ecce
 aquis elautus est, pharmatis subactus, doloribus consumitus, solo animo
PINELLVS. Et sic nunc quoque e Lectione suo audit, respondet, di-
 git; eaque omnia, quae ante morbum. Haec nempe laudatus mo-
 do **PUTEANVS**, candide prosector, facete et acute. A cuius
 aperta certe ac sincera descriptione non penitus quidem rece-
 dit **PAVLVS** ille **GVALDV,**³⁾ patricius Vicetinus, ipsius
 nempe

¹⁾ vid. ipsius Sermou. *Sacr.* I. pag. 286 seqq. et III. pag. 311 seqq. et pag.
315 seqq. et passim ibidem, Tom. I. Opp. per SAM. IEBBIUM.

²⁾ *Epistol. Attic.* XLII. Cent. II. pag. 158 seqq.

³⁾ In *Vita PINELLI*, accuratissime conscripta, pag. 24 seqq. item
pag. 96 seqq. et pag. 103 seqq. et passim alibi, in isto opere.

nempe PINELLI familiarissimus quondam, socius, et biographus postea solerissimus ac diligentissimus; nisi, quod omnia fere ibi ab ipso PUTEANO relata paullo duriora et asperiora, lenius emolliat, nitidius poliat, atque id unice studeat, ut istos quidem obiectos et notatos Viri illius magni naevos, tanquam leviores, tolerabiliores, atque hinc excusabiliores, blandius proponat.

Sed recentior nostra Historia Litteraria longe plura eiusmodi Virorum doctissimorum, animae velut magnae nimis prodigorum, et fatum suum intrepide expectantium exempla abunde suppeditabit.¹⁾ Sic, ut VVLCANIVM, POLITIANVM, HOLSTENIVM, XYLANDRVM, SIGONIVM, ROBORTELLVM, BENIVM, PORTAM, PACIVM, aliquosque plures, iam studio praeteream; solos hic tantum producam viros illos magnos, BAYLIVM nempe, LEIBNITIVM, LOCKIVM, GVDIVM, MORHOFIVM, atque ipsum nostrum denique SCHVRZFLEISCHIVM,²⁾ qui inconsultis quidem Medicis, aut obiter tantum consultis, mox autem desertis iterum ac neglectis, imminens suum fatum secure nimis expectarunt, atque sic aut legentes, aut scribentes, aut aliud quidquam demum agentes, animam reddiderunt, sicut ex ipsorum Vitis accurate descriptis liquido patet.

§. XXV.

Praesertim vero hic sibi caveant Fœminæ, ne nimis diu silendo ac celando, claudestina sua mala ita tandem subito exasperentur.

¹⁾ Conf. hoc praeter laudatum iam supra ERYTHRAEVM, IO. IMPERIALIS *Museum Hist. SCAEV. SAMMARATHANI Elog. doct. Vir. BAILLETVS, PAVL. IOVIVS, PAVL. FREHERVS, MELCH. ADAMVS, THVANVS,* aliquique plures eiusmodi Vitarum et Elogiorum Scriptores, a MORHOFIO, STRVIO, STOLLIO, et alii, copidiis allegati ac laudati, ceu notum.

²⁾ De quo vid. B. nostri BERGERI *programma funebre*, sive *Elogium*.

asperentur, ut nulla plane salutis redditurae spes postea sit re-dicta. Quamvis enim mollior ille ac venustrior sexus silentii alias non sit admodum tenax, ut vulgo quidem creditur ac dicitur; attamen nonnullae ex isto, tam Matronae, quam tene-ræ in primis virgines, innuptaque puellæ ad constans certe profundumque silentium saepius adeo usque obstinatae sunt, ut inde ex nimio et vitioso pudore, morbos suos, praecipue autem partium a pudicitia absconditarum occultiores, cum in-eluctabili certe damno et irreparabili ipsius Vitæ jactura, præ-facte celare ac velare malint; quam in tempore adhuc oppor-tuno, commode revelare, et ipsam illam secretam ac humanis quidem visibus subtractam malorum latentium sedem Medicis ac chirurgis ex necessitate potius, quam libera voluntate, aut lubrica volupitate, ostendere, et diligentius considerandam et explorandam decenter præbere. Cuius damnosæ certe ac mortiferi saepius silentii exempla, de foeminis præsertim illu-srioribus et in supra dignitate collocatis, quam plurima passim prostant tam in ipsis Medicorum Historiis, quam in aliis publicis monumentis historicis. Sic atossa illa magni Cyri filia, nec minoris Regis Darii uxor, Cancrum occultum in mammilla sensim natum diu male alebat, et tacite tolerabat: οὐπέτε δὲ ἡσά αὐχνούσιν, ἐφεργεῖσθαι, præ pudore vero malum illud occultans, nemini indicabat, ut ipse HERODOTVS^{a)} ait, hanc ipsam Historiam fuisus describens: donec tandem foede rum-peretur occultum illud haec tenus Carcinoma, et in malignum prorsus uleus eum summo ipsius Vitæ periculo, degeneraret. Tunc demum vero anxia et afflicta illa ATOSA, pudore tan-tisper posito, fero nimis, at serio tamen, abstrusam atrocis mali fedem

^{a)} Lib. III. cap. CXXXIII. pag. 211. Edit. GRONOV. conf. SVIDAS, ut et ATHENÆI Lib. XIII. Cap. 4. item BRISSONII Lib. I. de Regno Perſar. pag. 124.



sedem libenter ostendebat DEMOCEDI Medico praestantissimo et peritissimo, qui et opem tandem serebat exoptatissimam et malo illi, ut merito tumvisum erat, immedicabili, cum omnium admiratione, perfecte medebatur. De qua memorabili admodum Historia, et ipsa in primis dirissimi cancri cita, insolita et hinc paene incredibili curatione iamiam alibi plenius et accuratius a nobis actum fuit.^{b)}

§. XXVI.

Sed longe flebilior illa est profecto Historia, ubique sat nota, et candida Historicorum fide abundanter confirmata,^{c)} nimurum de MARIA ista, CAROLI, Burgundiae ducis, audacis magis, pugnacis, ac divitis, quam felicis, filia unica, ab ipsa Venere, Minerva, et Iunone quoque largissime dotata, ut poetarum ille olim dicebat; hincque maximi illius Imperatoris MAXIMILIANI Primi dignissima Coniux. Quae tum gravida, (ut quidem credebatur) ab equo feroci, inter venandum, vehementius in terram excussa, inferiores corporis partes a pudore contectas solo nimis solido duroque gravissime allisit, atque inde atrocissime laesit. (Quale crudele fatum, inter equitandum, olim pariter quoque experta fuit imperatrix illa IRENE dicta,^{d)} Nullis tamen postea precibus, aut obsecrationibus impensissi-

mis,

^{b)} In *Opuscul. Philol. Med.* Tom. I. pag. 64 seqq.

^{c)} Vid. hoc GERARD. de ROO *Histor. Austriae*. Lib. IX. pag. 392. C. SPINIAN. in *Vita Maximil. I.* METERAN. *Histor. Belg.* Lib. I. HARAEL. *Annal. Brabant.* HEUTERI *Hist. Rer. Belg. et Austriae*. FUGGERI *Specul. Hon. PIRCKHEIMER.* FREHER, PANTALEON, CASTRIUS. Lib. III. HEDIONIS *Chron.* MICH. SACHS *Chron.* CAESAR. P. IV. C. 3. pag. 270. et quos ibi citat. Auctores; item STRUV. in *Bibl. Hist. ut et Hist. Imp.* p. 739. RITTERSHVS. *Exeges. Gen.* p. 5. et SPENERVS noster, in *Hist. German. univers.* L. III. Cap. IV. p. 377. et plures alii.

^{d)} Apud NICEPHORVM GREGORAM, *Histor. Roman.* Lib. II. p. 32.

mis, eo quidem adigi unquam potuit, ut partes illas saevius laeas ac contusas Medico, vel Chirurgo ostenderet et ad Curationem summopere necessariam, patienter paeberet. Inde igitur nimis quidem caste ac modeste; at minus tamen caute ac pie, una, cum ipso tenero adhuc foetu, male perire maluit; quam denudato, ex summa certe necessitate, alienis oculis ventre, adhuc diutius bene vivere: Incredibili interea et indelebilis proflus sui desiderio in candidissima ac fidelissima afflictissimi insolabiliter Mariti mente aeternum relicto.

§. XXVII.

Sic pariter de maxima illa magni Britanniae Regni Regina, scilicet **ELISABETHA**, referunt Historici fide dignissimi,^{c)} eam quoque occultum quoddam Corporis inferioris vitium quondam contraxisse, idque semper quam diligentissime celasse, nec Medicos inde unquam consuluisse: donec tandem spretis ac rejectis medicamentis omnibus, senio et moerore confecta, Regnis suis terrenis ac caducis libenter relictis, libentius peteret coelestia illa meliora, in omnem quippe aeternitatem duratura. Qualem propemodum Vitae exitum, hac nostra etiam aetate, habuisse dicitur altera illa magni et beati eiusdem Regni Regina prudentissima simulque eruditissima, scil. **CAROLINA**, quae pari quidem modo, ex nimio nempe pudore ac castimonia, ante tempus, obire maluit; quam Medicos in tempore, adire, illisque vitiatam quandam abdominis partem, per integros novein

E 2 et

^{c)} Conf. hoc in primis, **CAMBDENI** *Hist. de Vita Elisabethae*, **CHENII** *Hist. Angl.*, **IONSTHON**, Lib. XIII. *Hist. Rer. Brit.* **BOTEREI** *Hist. Lib. X.* **BURNET**, **LARREY**, et alii *de Reb. Angl.* **BOHVN**, *Charact. Elisabeth. THVAN*, L. 129. **MORERI**, in *Diss. Hist. mai.* et **BAYLE** contra ipsum, in *Dictionar. Hist. Crit.* opere incomparabili, ut alii plures Auctores apud **STRVIVM** ac **BOECLERVVM**, aliasque, add. et **LVDOVPI** *Theatr. Mundi*, Tom. I. Lib. III, cap. 8. pag. 107. iam studio, taceantur.



et amplius, annos, uti traditur, fortissime ac patientissime toleratam, palam ostendere ac conspiendam, aut contrectandam praebere.^{f)} Sed studio iam omitto plura alia eiusmodi luctuosa exempla, in ipsis Historiis, passim ubique obvia Matronarum illustrium, quae propter intempestivum et diuturnum nimis silentium, in tristia illa regna Silentum, ante diem, fatali quadam necessitate, translatae fuerunt: ut iam supra monimus. Quorum tandem et pertinent foeminae illae nimis religiosae, seu superstitiones, quas inter potissimum eminent S. AGATHA atque PAVLA, quae morbis correptae, acerbissimos quidem dolores fortiter tolerare maluerunt; quam per efficacia remedia illos tollere, aut ipsam Medicorum praesentiam tempestive admittere.

§. XXVIII.

Verum, ne ipsae quidem humilioris fortis, aut inferioris conditionis foeminae ab ista vitiositate semper immunes esse solent, ut scilicet tacenda dicant, et dicenda e contrario, taceant; vel, ut contumacem illam et constantis silentii plenam Libertinam, *Epicharim scilicet^{g)}* proprius imitatare, jugulum rumpere malint, quam silentium, et mortuae arca potius efferi, quam vivae, arcum effari. Ita THOMAS BARTHOLINI^{h)} cuiusdam Mercatoris uxoris meminit, quae ex monstrosa plane partium genitalium conformatioне, sive duplicata quasi ac plicatili uteri vagina, ut paene verisimile, quater, per vices, foetus mortuos et iam fere putridos, difficillime pepererat, ita ut tandem miserrime moreretur. Quae tamen ipsa horri-

f) Conf. hoc, praeter alios, *Stat. Europ. Secret.* Part. XXXIX. pag. 280. et *Histor. nostrri Temp.*

g) Apud CORNEL. TACITVM, *Annal.* Lib. XV, Cap. 57. p. 1083. T.I.

h) *Hist. Anat. et Med. rario.* IX, Cent. V. pag. 14 seqq. conf. CORNEL. CELSI Lib. VII, Cap. XXVIII. pag. 388 seqq. et *Praefat.* ad Lib. I. pag. 14.

horribile illud secretum suum nulli unquam mortalium, immo, ne ipsi quidem marito charissimo aperuerat; nisi soli obstetrici, probrose hic fidae et intempestable taciturae; quae tandem post illius obitum, precibus ac minis coacta, eiurato illo pertinaci silentio, portentosum istud arcanum libere quidem, sed nimis sero, (quum nullus nempe medelae amplius locus esset,) manifestavit. Sic et de puella quadam, post foedam scabiem nocivis unguentis infeliciter retro pulsam, in sumnum vitae periculum coniecta; postea autem ad seriam commissi in semet atrocis facinoris confessionem, aegerrime tandem compulsa, alibi iam accusatus egimus.⁴⁾ Cui relatae ibi historiae similiima fere ista est notabilis observatio, a cl. BRINCKMANNO nuperrime publice proposita.⁵⁾

§. XXIX.

Sed extremum nunc denique occupet foeditissima illa Scabies Gallica, sive Neapolitana; qua, sive ipsa fatorum iniquitate, siue ex socordia, incuria, et diuturno nimis silentio, infectum turpissime fuit castissimum puellae nobilis innocentissima corpus, (ut credere certe par est,) quam Historiam luctuosissimam cum extremo legentium horrore ac stupore, ita vivide et accurate describit celeb. ille GVIL. FABRICIVS HILDANVS,⁶⁾ qui sane testis nunc erit *āvērēt̄ns*, quia tunc ibi ipse erat *āvērēt̄ns*. Sed audiamus iam ipsum: *Puella quaedam, XV annos nata, ex nobili familia orta, quum Dusseldorpii, in caterva atque conventu Nobilium, Bacchanalia celebraret; factum est, ut adolescentes Virginum vester, et vicissim, virgines adolescentium caligas et vester induerent. Vnde non multo post, puella, eiusmodi vestimentis usq; circa pudenda, dolorem contraxit, et pruritum percepit; moxque exortae sunt pustulae, et ulcera maligna, quae tamen*

Matr̄;

⁴⁾ In *Opuscul. Med. philol.* Tom. I. pag. 144 seqq. conf. huc IVNCKERI
Dissert. de Damno, ex Scabie repulsa.

⁵⁾ In *Tract. vernac. de Bis Mortuis*, Sect. III. pag. 115.

⁶⁾ *Obseruat. Chirurg.* C. Cent. I. pag. 297 seqq.



Matri, ob verecundiam, indicare ausa non fuit; usque dum propter ingra-
vescentia ulcera, et doloris vehementiam, incedere vix posset amplius. Tamen-
dem autem ego acceritus, inveni pudenda, et partem colli uteri et vesicae,
ad Intestinum rectum usque, foetidissimo ulcere exesa: Sphincteres quoque
tum vesicae, tum intestini recti, eroi erant: quapropter urina simul, et
excrementa alvi involuntarie effluebant. Res erat horrenda: praeter ul-
cus enim dolores acutissimi, febris continua et ardens, vigiliae, nausea, et
cibi fastidium aderant. Atque in ea mysteria, intra paucos dies, extincta
est. Quum autem ante obitum, de huius morbi causa investiganda, mecum
soliciti essent parentes, atque ex ipsa puella olfacere vellent, num ex copula-
tione cuiusquam, morbum contraxisset; illa se nunquam virum cognovisse,
multis iuramentis affirmabat. Inquisitione itaque facta, Adolefens ille,
(cuius Caligas puella in suam perniciem, praeter fas et decorum, indu-
erat, Deut. XXII.) lue venerea gravissime infectus, inventus est. Hacte-
nus HILDANVS. Sed mittamus, nunc plures alios eiusmodi iu-
venes ac puellas, quos durus amor crudeli tabe peregit, ut poeta lo-
quitur, atque hic tandem finiamus.

§. XXX.

Restat quidem adhuc altera huius Dissertationis pars, (isti quo-
dammodo, ut prima certe fronte, videtur, opposita ac quasi con-
traria,) scilicet de tempore ac salutari Agrotorum silentio, sive de Me-
dela, per silentium: quam vero propter occupatum iam dudum hic
spatium, in aliud certe commodius tempus differre nunc vel invi-
ti, cogimur. Nisi communis ille *Sigalion*, ac simul *Pnigalon*, (ut
ita dicam,) qui omnibus quidem mortalibus durum et indissolubile
aeterni silentii sigillum imprimit, nobis quoque perpetuum silen-
tium interea subito imponat: Quod tamen fatum in solius omni-
potentis Dei dextra est repositum.

VIRGILIVS

Conticuit tandem, sed quoque hic fine, quievit.


ULB Halle
004 058 02X

3



56





B.I.G.

DISSE^{AN}TAT^{IA} MEDICA IN AVGVRALIS

DE

TEMPESTIVO MEDICI SILENTIO
ET
IN TEMPESTIVO AEGROTI

Q V A M

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

P R A E S I D E

D A N I E L E W I L H E L M O
T R I L L E R O

PHIL. ET MED. DOCT. CONSILIARIO AVL. ELECT. SAXON. MED.
PROF. PVBL. ORDIN. PRIMARIO ET ILLVSTR. ACAD.
SCIENTIAR. BONONIENS. SODALI

PRO GRADV DOCTORIS

RITE IMPETANDO

AD D. XXI. IVL. C I C I O C C L X X X

H. L. Q. C.

P U B L I C E D E F E N D E T

P E T R V S W I T T, H A M B U R G E N S I S
M E D I C I N A E C A N D I D A T V S

V I T E B E R G A E

E L I T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I